

quam terras Romanæ Ecclesiæ ingrediatur. Et post gratulationes, salutationem & benedictionem, nomine Pontificis honesto modo exigunt ab illo juramentum solitum præstari ab electis Imperatoribus, antequam intrent agrum Romanæ Ecclesiæ, in forma quæ in Decretis cavetur, videlicet: *Ego R. Rex Romanorum promitto & juro per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per lignum vivificæ crucis, & per has reliquias Sanctorum, quod si permittente Domino Romam venero, sanctam Romanam Ecclesiam, & sanctitatem suam rectorem ipsius, exaltabo secundum posse meum, & nunquam vitam, membrum neq; honorem quem habet, mea voluntate, meo consilio, meo consensu, aut mea exhortatione perdet. Et in Roma nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus quæ ad sanctitatem suam aut ad Romanos pertinent, sine vestro consilio. Et quidquid de terra S. Petri ad nostram potestatem pervenerit, sue sanctitati reddam. Et cuicumq; Italicum regimen commiserit, jurare faciam illum ut adiutor sue sanctitatis sit ad defendendam, terram S. Petri secundum suum posse. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia.* Aliquando Oratores electi, quando veniunt ad intimandum electionem, & ad petendum approbationem nomine electi Regis, solent præstare supra dictum juramentum si ad hoc habent speciale mandatum. Hoc juramentum Fridericus III. Imp. dum Senis esset, in manibus legatorum Apostolicorum anno salutis M. CCCC. LI. præstitit, & ante eum plures alii.

Dehinc, ut primum Ecclesiæ territorium ingressus est Cæsar, consuevit cum sua familia impensis Pontificis ali, quoadiu & Romæ & in agro Romano fuerit. Nicolaus verò quamvis Frederico prædicto cum familiaribus quingentis tantum expensas promiserit, longè tamen plures ære suo aluit.

Ut Sutrium venit Cæsar, vel locum Urbis vicinum, ita ut pridie post applicare ad urbem possit, legati Apostolici illum cum aliquibus Prælati à Pontifice missis, qui necessaria curent, dimittunt & Romam perveniunt.

Sequenti die electus Imperator Romam missus carpit iter: cui honoris gratia obviam mittuntur à Pontifice Prælati, Barones, & curiales hoc ordine, ut in Friderici adventu servatum est. Primi ad sextum lapidem Columnenses proceres cum suis amicis & clientelis, & mox Ursini atque alii Barones urbis: tum Pontificis copix, quæ adsunt cum illarum præfecto: inde Vicecamerarius cum præfecto Urbis, Senatore, conservatoribus officialibus, & aliis nobilibus civibus Romanis: deinde ordines Curix, cum regente Cancellariæ, sive alio aliquo Prælato: demum alii Prælati domestici Pontificis cum omni ejus familia: & tandem sacrum Cardinalium Collegium, ad radices montis juxta domum leproforum Cæsarem expectabunt. Hi omnes distinctis intervallis Imperatori electo obviabunt. Oratores verò Principum si qui in urbe erunt, pro suo libitu obviam procedent. Cardinales ut Cæsarem convenient, congratulationibus & oblationibus factis nomine Pontificis & Collegij, illum habentes medium inter duos primos Episcopos Cardinales, deducunt usque ad tentorium, sive alium locum sibi deputatum extra urbem. Nam Cæsar non consuevit ea die qua appulit, Urbem intrare, sed pernoctare saltè una nocte extra mœnia in campis. Cardinales & alij omnes postquam Cæsar ad locum deputatum pervenerit, in Urbem revertuntur.

Consueverunt etiam electi Imperatores hac die antequam ponticulum, qui primus ante ingressum Urbis post descensum montem occurrit, pertransiant, præstare juramentum Romanis in hanc formam. *Ego Rex Rom. futurus Imp. juro me servaturum Romani bonas consuetudines suas, sic Deus me adjuvet.*